An. et vol. C — 4 Iulii 2008 — N. 7

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico – Città del Vaticano – *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA BENEDICTI PP. XVI

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

FAIARDENSIS-HUMACAENSIS

In Portu Divite nova conditur dioecesis Faiardensis-Humacaensis appellanda.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Venerabiles Fratres Robertus Octavius González Nieves, O.F.M., Archiepiscopus Metropolita Sancti Ioannis Portoricensis, et Ruben Antonius González Medina, C.M.F., Episcopus Caguanus, audita Conferentia Episcopali Portoricensi, ab hac Apostolica Sede antea petiverunt ut, quibusdam distractis territoriis a circumscriptionibus ecclesiasticis suis, nova conderetur dioecesis ad satius consulendum spirituali bono Christifidelium sibi creditorum. Nos, praehabito faventi voto Venerabilis Fratris Timothei Broglio, Archiepiscopi titulo Amiternini et in Portu Divite tunc Delegati Apostolici, de consilio Congregationis pro Episcopis admotae postulationi animarum saluti valde profuturae libenter concedendum esse putavimus. Summa igitur Nostra potestate sequentia decernimus. Ab archidioecesi Sancti Ioannis Portoricensis

separamus territorium, prout in praesens lege civili circumscribitur, municipiorum nuncupatorum: *Canóvanas, Loíza, Luquillo,* et *Río Grande;* a dioecesi autem Caguana seiungimus territorium, prout in praesens lege civili circumscribitur, municipiorum nuncupatorum: *Fajardo, Naguabo, Ceiba, Vieques, Culebra* et *Humacao;* atque ex ita distractis territoriis novam constituimus dioecesim Faiardensem-Humacaensem, quae iisdem limitabitur finibus, quibus praedicta municipia simul sumpta nunc lege civili terminantur. Sic conditae dioecesis sedem in urbe « Fajardo » ponimus, templumque paroeciale ibi situm, Deo in honorem Sancti Iacobi Apostoli dicatum, ad gradum ac dignitatem ecclesiae Cathedralis evehimus, in qua quidem Canonicorum Capitulum, ad iuris normam, iubemus institui. Simulque in urbe « Humacao » templum paroeciale ibi exstans, Dulci Nomini Iesu dicatum, ad gradum ac dignitatem ecclesiae Concathedralis attollimus. Praeterea novam dioecesim Faiardensem-Humacaensem suffraganeam facimus metropolitanae Sedi Sancti Ioannis Portoricensis eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi pro tempore eiusdem metropolitanae Sedis subicimus. Cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae statuimus, perficienda committimus Venerabili Fratri Iosepho Wesołowski, Archiepiscopo titulo Slebtensi seu Sancti Fiaci inter montes, Delegato Apostolico in Portu Divite, vel, ipso absente, illi, qui curat negotia Sanctae Sedis in eadem Natione; eisdem tribuentes necessarias et opportunas facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito Congregationi pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae exsecutionis, cum primum fas erit, mittendi. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die undecimo mensis Martii, anno Domini bis millesimo octavo, Pontificatus Nostri tertio.

THARSICIUS card. BERTONE
Secretarius Status

✠ IOANNES BAPTISTA card. RE
Congr. pro Episcopis Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Brennus Chestle, *Protonot. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 85.719

II

HUARIENSIS

In Peruvia Praelatura territorialis Huariensis ad gradum ac dignitatem dioecesis evehitur servatis iisdem finibus et nomine.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Solet Apostolica Sedes, cum rerum adiuncta id suadent, in Nationum territoriis ubi Christifidelium communitates iam exsistunt, Praelaturas pro tempore condere earumque regimen Pastoribus Praelatis, etiam episcopali dignitate praeditis, committere, ut ipsi in iisdem pastorales structuras instituant ac perficiant donec Praelaturae ad eam religiosae vitae firmitatem, quae par sit dioecesi, perveniant. Cum vero Praelatura territorialis Huariensis, hisce recentioribus annis catholicorum fidelium numero operibusque religiosis et civilibus auctis haud parva incrementa cepisset, Venerabilis Frater Hector Michael Cabrejos Vidarte, O.F.M., Archiepiscopus Metropolita Truxillensis atque Conferentiae Episcopalis Peruvianae Praeses, eadem Conferentia audita, ab hac Apostolica Sede petivit ut ista Praelatura territorialis ad gradum ac dignitatem dioecesis eveheretur. Nos quidem existimantes id in animarum bonum esse cessurum, favente quoque eidem rei Venerabili Fratre Rino Passigato, Archiepiscopo titulo Novacaesariensi et in memorata Natione Apostolico Nuntio, de consilio Congregations pro Episcopis admotae postulationi libenter concedendum esse putavimus. Summa igitur Nostra potestate, Praelaturam territorialem Huariensem ad gradum ac dignitatem dioecesis attollimus, servatis iisdem finibus, quibus nunc ipsa terminatur, et nomine. Sic conditae dioecesis sedem in urbe *Huari* ponimus, ibique exstans praelaticium hucusque templum, Deo in honorem Beatae Mariae Virginis a Rosario et Sancti Dominici de Guzman dicatum, ad gradum et dignitatem ecclesiae Cathedralis evehimus cuique propria insignia, privilegia honoresque tribuimus. Insuper Venerabilem Fratrem Ivonem Baldi Gaburri, hactenus Episcopum Praelatum Huariensem, Episcopum dioecesanum Huariensem nominamus, iisdem honoribus, insignibus, privilegiis, iuribusque ornatum atque oneribus officiisque adstrictum, quae ad Episcopos residentes de iure

pertinent. Praeterea dioecesim Huariensem suffraganeam metropolitanae Sedi Truxillensi confirmamus eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi Truxillensis subicimus. Cetera prorsus secundum canonicas leges temperentur. Haec omnia perficienda committimus praedicto Apostolico Nuntio vel, absente eo, illi, qui curat negotia Apostolicae Nuntiaturae in Peruvia, eisdem tribuentes necessarias et opportunas facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito Congregationi pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae exsecutionis, cum primum fas erit, mittendi. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die secundo mensis Aprilis, anno Domini bis millesimo octavo, Pontificatus Nostri tertio.

Tharsicius card. Bertone
Secretarius Status

✠ Ioannes Baptista card. Re
Congr. pro Episcopis Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Brennus Chestle, *Protonot. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 94.063

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabili Dei Servo Basilio Antonio Mariae Moreau caelitum Beatorum tribuitur dignitas.

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. — « Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere » (*Io* 15, 5).

Venerabilis Dei Servus Basilius Antonius Maria Moreau eo quod cum Christo coniunctus erat, veluti sucum deprompsit, multiplicem apostolicam operam acturus, difficili in illo rerum socialium statu post Francogallicam eversionem. Efficaciter enim christianae iuvenum communitatumque agricolarum institutioni operam dedit; alacriter sic missionalem animum extra Europae quoque fines ostendit.

Redemptoris hic testis die XI mensis Februarii anno MDCCXCIX in oppido *Laigné-en-Belin* in Francogallia ex copiosa familia natus est. Prima fidei elementa suo ex parocho recepit. Apud Collegium oppidi *Château-Gontier* (annis MDCCCXIV-MDCCCXVII) suam institutionem produxit, quam ad finem in seminario maiore Vindinensi adduxit. Anno MDCCCXXI sacerdotalem consecrationem recepit. Missionarius fieri voluisset, sed eundem ad seminarium Sancti Sulpicii Parisiensis misit Episcopus, ut suam institutionem augeret et ad docendum sese compararet. Vindino repetito, philosophiam, theologiam dogmaticam Sacramque Scripturam docuit. Interea frugiferam evangelizationis operam sustinebat.

Anno MDCCCXXXIII Vindini institutum « Bon-Pasteur » condidit, quod sontes redimeret cuiusque superior renuntiatus est. Anno MDCCCXXXV S. Ioseph Fratrum spiritalem moderationem ei concredidit Episcopus. Eodem anno Presbyteros Auxiliares condidit, ut parochi per recessus populariumque missionum praedicationem iuvarentur. Duobus his sodaliciis coniunctis, anno MDCCCXXXVII, Congregatio Sanctae Crucis orta est, cuius Dei Venerabilis Servus conditor habetur.

Novensilis haec religiosa familia laudis decretum anno MDCCCLV recepit, cuius anno MDCCCLVII a S. Sede sunt approbatae constitutiones. Dei Servus, qui anno MDCCCXL vota religiosa nuncupaverat, anno MDCCCXLI Institutum

quoque Sororum Marianitarum condidit. De una ipse cogitabat religiosa communitate, in tres partes divisa ad Sacrae Nazarethanae Familiae exemplum.

Nova Congregatio educationi potissimum studebat atque praedicationi, in agrestibus locis missionibusque exteris agendis, ministerio paroeciali iuvando, bonis scriptis diffundendis, domibus pro iuvenibus, in difficultatibus versantibus vel redemptione indigentibus, ministrandis. Dei Servus, inexhausta pastorali caritate compulsus, religiosorum manipulos ad Civitates Foederatas Americae Septentrionalis et ad Algeriam misit. Ruri orphanotrophio Romae instituendo suam contulit partem. Ut ei propter multiplicia incepta suam demonstraret aestimationem, Summus Pontifex, Beatus Pius IX, eidem «Missionarii apostolici» titulum tribuit.

Cum criminosis insimulationibus afficeretur, a Moderatoris Generalis officio sese abdicare voluit, quod primum Sancta Sedes vetuit et postea anno MDCCCLXVI accepit, eius provecta aetate etiam considerata.

Acribus probationibus affectus, solida in Divina Providentia fiducia est sustentatus, cuius se esse humile docileque instrumentum animadvertebat. Eo quod continenter Domini voluntati se addixit itemque sua officia studiose gessit, rationes invenit illas ut celeriter in evangelicae perfectionis via incederet, cum omnes virtutes exercendo emineret.

Fidei fuit homo et ea ut diffunderetur effecit. Amore oboedientiaque cum Sancta Catholica Ecclesia coniungebatur, cum illa aetas haereticis inclinationibus imbueretur. Cum ardenter Dominum diligeret, operam dedit ut ab omnibus cognosceretur et amaretur. Pro animarum bonis continenter est operatus atque cunctos in necessitatibus versantibus adiuvit. Liberaliter iis ignovit qui per vexationes iniuriasque dolorem ei attulerunt, quas ille perquam comiter fortiterque toleravit. Prudens fuit et in institutis condendis circumspectus necnon ut spiritalis moderator cautus. Instituti Regulam ad amussim observavit, quod iuste rexit.

Suis in multiplicibus operibus agendis spiritalem alimoniam precatione, erga Eucharistiam Nazarethanamque Familiam devotione invenit. Patres enim Iesu Cordi, Fratres S. Ioseph, Sorores Virginis Mariae Cordi devovit. Omnibus in rebus modestus fuit, singularem in modum pauper, oboediens et castus.

Superiorum voluntati etiam postremis difficillimisque vitae annis obsecundavit. Domum suam adiit, ubi sollerter sacerdotale ministerium sustinere perrexit. Vindini die XX mensis Ianuarii anno MDCCCLXXIII mortuus est, ut vitam aeternam, quemadmodum speraverat, attingeret.

Eius propter sanctitatis famam Episcopus Vindinensis anno MCMXLVIII beatificationis canonizationisque per Processus Ordinarii celebrationem Causam incohavit. His omnibus iure statutis perfectis rebus, die XII mensis Aprilis anno MMIII de virtutibus heroum in modum exercitis et die XXVIII mensis Aprilis anno MMVI de miraculo eius intercessioni adscripto decreta prodierunt. Statuimus igitur ut beatificationis ritus Vindini die XV mensis Septembris anno MMVII celebraretur.

Hodie igitur de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Iosephus S.R.E. Cardinalis Saraiva Martins, Congregationis de Causis Sanctorum Praefectus, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos in Beatorum numerum Venerabilem Servum Dei Basilium Antonium Mariam Moreau adscribimus:

Nos, vota Fratris Nostri Iacobi Mauricii Faivre, Episcopi Cenomanensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Servus Dei Basilius Antonius Maria Moreau, presbyter, conditor Congregationis Sanctae Crucis, qui vitam suam dicavit ministerio pastorali atque educationi ad Ecclesiae necessitatibus subveniendum, Beati nomine in posterum appelletur, eiusque festum die vicesima Ianuarii, cum transiit in caelum, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Haec vero quae hodie statuimus, firma usquequaque esse volumus ac valida fore iubemus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XV mensis Septembris, anno MMVII, Pontificatus Nostri tertio.

De mandato Summi Pontificis
THARSICIUS card. BERTONE
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 84.224

II

Venerabili Dei Servo Stanislao a Iesu Maria Papczyński Beatorum honores decernuntur.

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. — «Omnia vestra in caritate fiant» (*1 Cor* 16,14).

Verba haec Venerabilis Servus Dei Stanislaus a Iesu Maria Papczyński (baptismi nomine: Ioannes), conditor Congregationis Clericorum Marianorum ab Immaculata Conceptione B.V.M. suis spiritalibus filiis repetere solebat, veluti christianae vitae religiosaeque regulam. Salutifer amor Dei Unius et Trini, qui in corda hominum per Paschales eventus diffusus est et in mysterio manifestatus Immaculatae Conceptionis Beatissimae Virginis Mariae, fons fuit inexhaustus roboris, inspirationis, apostolicorum inceptorum quae fundationem promovebant novi Instituti religiosi ex parte Servi Dei Stanislai a Iesu Maria Papczyński. In *Podegrodzie* natus est, in Polonia, ex quadam copiosa agricolarum familia, die XVIII mensis Maii anno MDCXXXI. Parentes viribus non parcebant et mediis ut in catholico spiritu formarent eum et bene instituerent. Mediis scholis expletis atque duobus philosophiae annis, viginti et tres annos natus, vocationis ad vitam religiosam omnino conscius in Ordinem ingressus est Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum, contra parentum oppositionem, praesertim matris. In novitiatu nomen accepit Stanislaum a Iesu Maria. Die XXII mensis Iulii anno MDCLVI religiosa vota nuncupavit et die XII mensis Martii anno MDCLXI sacerdos est ordinatus. Ab initio, evangelica permotus vocatione ad perfectionem, diligentissime ad propriam tetendit sanctificationem, confratrum atque illorum qui eius pastorali sollicitudini erant concrediti. Brevi tempore, potissimum Varsaviae, peculiaria ob dona a Deo accepta atque cotidianae vitae iter, pernotus factus est veluti aptus educator atque artis rhetoricae professor, praeclarus praedicator, sapiens confessarius, cuius adiumento tum pauperes fruebantur tum divites et nobiles ecclesiastici. Diligenter curans spiritalem vitam Ordinis, illo tempore quibusdam obnoxii mutationibus, suam significavit opinionem pro pristina Instituti vita observanda. Ob contentiones quas vixit, plurimos passus est dolores, ex quibus uberes collegit fructus, detegens Christi passionem eique adhaesionem. Eodem tempore in animo volutabat novam

religiosam communitatem, cuius « divina visio » a Spiritu Sancto « fuit animo impressa suo ». Anno MDCLXIX licentiam petiit Ordinem relinquendi quam per breve apostolicum accepit anno MDCLXX. Attento eius magno amore erga consecratam vitam, ut ad effectum perduceret novam communitatem, eodem tempore quo indultum accepit dimissionis, coram adstantibus, inter quos aderat vice-provincialis Ordinis, *Oblationem* legit, divina inspiratione in forma religiosorum votorum compositam, actum plenae donationis Deo Uni et Trino atque Matri Dei Mariae Immaculatae, atque voluntatem significavit condendae Societatis Clericorum Marianorum Immaculatae Conceptionis. Statim opus aggressus est: de Posnaniensis Episcopi consensu album induxit habitum, *Normam vitae* scripsit, in qua mentem novae communitatis definivit, atque sodales coepit quaerere. Anno MDCLXXIII ecclesiasticam accepit primi conventus approbationem, anno MDCLXXIX dioecesanam Instituti atque anno MDCXCIX pontificiam. Eodem tempore, discrimen prosequens, fundator, conscius sui charismatis, personali indole communitatem ditavit: promovit nempe cultum et amorem erga Immaculatam Conceptionem Beatissimae Virginis Mariae, in qua uberrimum perspiciebat et salvificum Dei amorem pro nomine; orationes et sacrificia obtulit pro defunctis quae « ex puro amore Dei » emanabant – sicut ille dicere solebat; adiumentum parochis praebuit ac, vigore socialis suae sollicitudinis, auxilium pro corpore et spiritu adferebat, potissimum humili populo praestitit. Certus de universali vocatione ad sanctitatem, scripsit commentationem cui titulus *Templum Dei Mysticum* et anno MDCLXXV publici iuris eam fecit in qua exemplum exposuit christianae sanctitatis veluti mysticum templum Dei. Adhuc vivens ab aliis sanctus habebatur, atque populus proprios dolores difficilesque quaestiones eius recto iudicio precibusque commendabat. Amore circumdatus et oratione suorum spiritalium filiorum quos benedicebat atque adhortabatur ad fidelitatem vocationi, die XVII mensis Septembris anno MDCCI pie in Domino obdormivit dicens: « In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum ». Beatificationis causa Servi Dei Posnaniensi in dioecesi initium cepit anno MDCCLXVII et usque ad annum MDCCLXIX acta est. Anno MDCCLXXV processus canonicus est suspensus, tum ob documentorum exiguitatem eius vitam respicientium, tum ob vexationem in Ecclesiam ex parte civilis auctoritatis. Tamen apud populum eiusque spiritales filios viva semper manebat eius sanctitatis memoria; plurimi ad eius decurrebant intercessionem et innumeri scriptores eius morali religiosoque exemplo alliciebantur. Historicis superatis difficultatibus, processus anno MCMLIII est resumptus, post confirmationem renatae Congregationis Cle-

ricorum Marianorum. Die XIII mensis Iunii anno MCMXCII, Ioannes Paulus Papa II, dilectus Noster Praedecessor, declaravit Servum Dei virtutes theologales, cardinales iisque adnexas heroicum in modum exercuisse. Die proinde XVI Decembris mensis anno MMVI Nosmet Ipsi disposuimus ut Decretum super miraculo promulgaretur intercessioni eiusdem Servi Dei attributo, quod consistebat in « inopinata resumpta gravitate actu post spontaneam interruptionem ob internum abortum echographice probatum ». Quapropter decrevimus ut ritus beatificationis apud Sanctuarium Marianum Licheń, in Polonia, die XVI celebraretur mensis Septembris anno MMVII, eique nomine Nostro praeesset Venerabilis Frater Noster Tharsicius S.R.E. Cardinalis Bertone, munus Secretarii Status exercens.

Hodie igitur in Licheń praefatus sacrorum Antistes de mandato Nostro textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos in Beatorum numerum adscribimus Venerabilem Servum Dei Stanislaum a Iesu Maria Papczyński:

Nos, vota Fratris Nostri Stanislai Gądecki, Archiepiscopi Posnaniensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Servus Dei Stanislaus Papczyński, presbyter, conditor Congregationis Clericorum Marianorum sub titulo Immaculatae Conceptionis Beatissimae Virginis Mariae, qui suffragii orationi pro defunctis se dedit atque populi christianae institutioni, Beati nomine in posterum appelletur, eiusque festum die duodevicesima Maii in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus minime quibuslibet officientibus.

Datum Romae, apud Sanctum Perrum, sub anulo Piscatoris, die XVI mensis Septembris, anno MMVII, Pontificatus Nostri tertio.

De mandato Summi Pontificis
THARSICIUS card. BERTONE
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 54.240

III

Venerabili Dei Servae Caelinae Chludzińska Borzęcka Beatorum honores decernuntur.

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. — « Per crucem et mortem ad resurrectionem et gloriam ».

Haec sunt verba quae Venerabilis Dei Serva Caelina Chludzińska Borzęcka in cruce ponere voluit professionis perpetuae Congregationis Sororum a Resurrectione Domini Nostri Iesu Christi, suam peculiarem ita significans devotionem Paschalis Iesu Christi Mysterii atque viam ad sanctitatem describens. Coniuncta cum cruce passioneque Domini in qualibet circumstantia suae vitae veluti uxor, mater, vidua et religiosa, salvificam Dei voluntatem persecuta est et adimplevit atque ad evangelicum nuntium fidei spei amorisque, quod a gloriosa profluit resurrectione Iesu, diffundendum contulit.

Haec Serva Dei atque Mysterii Paschalis Apostola die XXIX mensis Octobris anno MDCCCXXXIII in *Antowil,* tunc in terra Polona, nunc Bielorussica, ex Ignatio et Petronella Chludziński, agrorum possessoribus, est nata. In ambitu crevit sanae catholicae et patriae traditionis. Eius vita spiritalis mature augere coepit atque desiderio culminavit ut illa soror fieret. Voluntati tamen oboediens parentum atque sui confessarii consilio ducta, viginti annos nata matrimonio cum Iosepho Borzęcki se coniunxit. Uxor fuit perdiligens et lectissima, quae cum viro responsalitatem de agrorum administratione participabat atque curam de pauperibus largiter ostendebat. Quattuor habuit filios, ex quibus duo adhuc infantes sunt mortui. Caelina duas quae manserunt filias veluti donum Dei considerabat suae curae concreditum. Aequam illis humanam christianamque educationem tradere voluit, utramque unico et singulari modo tractans. Ab auctoritatibus Caesaris Russorum ob adiumentum seditiosis Polonis oblatum est comprehensa, exemplum firmi fortisque amoris erga patriam relinquens. Quoniam maritus eius ictum subiit atque paralysi correptus mansit, Caelina simul cum familia Vindobonam se contulit quo aptioribus curis eum medicaret. Marito morbo quinque per annos laboranti, illa spiritale exstitit adiumentum et morale eique sensibili teneroque animo adfuit. Eodem tempore diligentem adhibuit curam de filiarum educa-

tione. Spiritalem vim ex fervidis firmisque precibus ac praesertim cotidiana ex Eucharistia hauriebat.

Vidua manens Romam cum filiabus adiit, Dei voluntatem quaerens de se ipsa suisque filiabus. Hic patrii Petro Semenenko occurrit, conditori coniuncto Congregationis videlicet a Resurrectione Domini Nostri Iesu Christi, qui eam in spiritalem Mysterii Paschalis Iesu vitam introduxit. Maiore filia natu in munere constituta, Caelina simul cum filia minore Hedvige, aliisque mulieribus, communem vitam Romae incepit, atque die VI mensis Ianuarii anno MDCCCXCI religiosa nuncupavit vota, et ita ex iure initium dedit Congregationi Sororum a Resurrectione Domini Nostri Iesu Christi. Dum numerus cresceret sororum, Caelina inceptum suum ad finem adducere coepit, nempe condendi Congregationem renovandae societati idoneam, praesertim per educationem. Communitates fundavit Instituti in Polonia, Bulgaria atque in Foederatis Civitatibus Americae Septentrionalis. Vitam suam frequentibus dicavit visitationibus religiosarum communitatum atque copiosum cum consororibus suscepit epistularum commercium, eas in spiritu fundationis instituens. Instante morte, Caelina sororibus scribebat: «In Deo adest felicitas in aeternum». Die XXVI mensis Octobris anno MCMXIII Cracoviae pie obdormivit.

Fama sanctimoniae quae eam in vita comitabatur, post mortem est prosecuta, quamobrem, iuxta adhortationem Papae Pii XII, Praedecessoris Nostri, rec. mem., Causa beatificationis canonizationisque Romae anno MCMXLIV est incohata. Omnibus de iure impletis, die XI mensis Februarii anno MCMLXXXII, coram Decessore Nostro Ioanne Paulo II, Servo Dei, Decretum est promulgatum de virtutibus Venerabilis Servae Dei heroico modo exercitis. Nos itaque die XVI mensis Decembris anno MMVI facultatem tribuimus Congregationi de Causis Sanctorum ut Decretum super miraculo promulgaret, quod Cracoviae anno MCMXCIX accidit, intercessioni eiusdem Venerabilis Servae adscriptum. Decrevimus igitur ut ritus beatificationis Romae die XXVII mensis Octobris anno MMVII perageretur.

Hodie igitur in Basilica sancti Ioannis in Laterano de mandato Nostro Iosephus S.R.E. Cardinalis Saraiva Martins, Congregationis de Causis Sanctorum Praefectus, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos in Beatorum numerum adscribimus Venerabilem Servam Dei Caelinam Chludzińska Borzęcka:

Nos, vota Fratris Nostri Camilli S.R.E. Cardinalis Ruini, Vicarii Nostri Generalis Romanae dioecesis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Epis-

copatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Serva Dei Caelina Chludzińska Borzęcka, fundatrix Congregationis Sororum a Resurrectione Domini Nostri Iesu Christi, quae sub lumine Paschalis Mysterii vitam egit et Cruci mortique coniuncta particeps fuit resurrectionis Eius et gloriae, Beatae nomine in posterum appelletur, eiusque festum die vicesima sexta Octobris, qua in caelum nata est, in locis et modis iure statutis quotannis celebrali possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus minime quibuslibet officientibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVII mensis Octobris, anno MMVII, Pontificatus Nostri tertio.

De mandato Summi Pontificis
THARSICIUS card. BERTONE
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 55.164

IV

Venerabili Dei Servo Francisco Jägerstätter caelitum Beatorum tribuitur dignitas.

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. — « Omnia possideo, Biblia sacra habeo, nulla re indigeo ».

Verbis his Venerabilis Dei Servus Franciscus Jägerstätter, antequam necaretur, sacerdotem est allocutus, qui ei postrema sacramenta ministraverat. Divina gratia roboratus, iniqua regiminis nazistarum mandata detrectavit. Licet de periculis esset conscius hac voluntate sibi instantibus, minime dubitavit suam vitam tradere, dummodo fidelitatis vinculum non amitteret, quo cum Christo et Ecclesia vinciebatur, atque martyrii palmam est consecutus.

Strenuus hic Domini testis in Austria in oppido S. Radegundis, haud longe a Bavaria, die XX mensis Maii anno MCMVII a femina innupta ortus est. Eo puero mater Henrico Jägerstätter nupsit, qui eum adoptavit eique suum nomen dedit. Vilicus ac fossor operari in Bavaria atque Stiria coepit; domum exinde rediit, quoniam vitricus morbo est correptus et domestica negotia ei fuerunt ministranda.

Anno MCMXXXIII filiam genuit, quam secum tenuisset nisi mater obstitisset. Convenit porro Franciscam Schwanninger mulierem perquam catholicam, qui per eius exemplum fideique testificationem, quacum anno MCMXXXVI matrimonium iniit, vitae rationes immutavit. Ecclesiae praeceptis prorsus se addixit atque Sacramentis assidue receptis, Sacrarum Scripturarum lectione meditationeque necnon ceteris probandis scriptis atque multiplicibus devotionibus itemque pietate potissimum in Sacrum Cor et Beatam Virginem Mariam spiritalitatem alere coepit.

Tres filias genuit quas christianis rationibus instituit quibusque probitatis vitae exemplum exhibuit, sua complens ipsius officia. Cum Ecclesiae prorsus adhaereret, regimen nazistarum aversari coepit. Eorum inceptorum, quae iuvare illud regimen possent, particeps esse noluit neque subsidia, quae familiis complurium membrorum tribuebantur, accepit.

Anno MCMXL ad nomen militae dandum vocatus est, sed paulo post « necessarius » est declaratus ad sua praedia curanda ideoque domum rediit. Mense Octobri subsequenti iterum vocatur. Inter milites suam fidem palam declarabat, se gravibus vexationibus offerens. Impediebatur quoque ne Mis-

sae interesset, quam ut participaret gravia variaque pericula inire non dubitabat. Die VIII mensis Decembris anno MCMXL Tertium Ordinem S. Francisci est ingressus.

Anno MCMXLIII cum denuo ad militiam vocaretur, id detrectavit, cum sicut christianus iniquum bellum gerere non posset. Cum hoc modo se gereret, non aliis causis movebatur, nisi ut evangelicis praeceptis sese aequaret. Promptum tamen se esse dixit ad militum sanitatis operam praestandam, sed eius postulatum non est receptum. Apud militare tribunal est iudicatus atque die VI mensis Iulii capite est damnatus. Lentiae ac Berolini est detentus. Cum in vinculis esset, vexatus est et tortus, ut catholicam fidem repudiaret, quod ipse respuit. Uxori scribere solebat atque in quadam epistula palam significavit se mortem propter Christi amorem accepturum. Autumavit enim: «Nostro Salvatori gratias ago, quia pro Eo pati potui et pro Eo mori potero».

Die IX mensis Augusti anno MCMXLIII Brandenburgi est interemptus. Exoptaverat ut necatio ante sollemnitatem in Assumptione B. Mariae Virginis eveniret, ut eandem in caelo celebrare posset: tale in laico propositum perquam altam fidem secum fert.

Dei populus statim eum verum martyrem putavit. Eius perstante etiam post mortem fama, Linciensis Episcopus anno MCMXCIX beatificationis seu declarationis martyrii Causam per dioecesanam inquisitionem incohavit, postquam antea nonnulli testes sententiam sunt rogati, ne probationes perirent. Haec inquisitio a Congregatione de Causis Sanctorum per decretum diei III mensis Octobris anno MMIII est agnita. His absolutis iure statutis rebus, Theologi Consultores in Peculiari Congressu diei XXXI mensis Martii anno MMVI necnon Patres Cardinales Episcopique in Sessione Ordinaria diei XX mensis Februarii anno MMVII agnoverunt Dei Servi mortem verum fuisse martyrium. Facultatem ideo fecimus Congregationi de Causis Sanctorum ut decretum "super martyrio" die I mensis Iunii anno MMVII evulgaret. Statuimus igitur ut beatificationis ritus Lentiae die XXVI mensis Octobris anno MMVII celebraretur.

Hodie igitur de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Iosephus S.R.E. Cardinalis Saraiva Martins, Congregationis de Causis Sanctorum Praefectus, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos in Beatorum numerum Venerabilem Servum Dei Franciscum Jägerstätter adscribimus:

Nos, vota Fratris Nostri Aloisii Schwarz, Episcopi Linciensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate

Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Servus Dei Franciscus Jägerstätter, martyr, paterfamilias, qui abnegato liberalique animo suam vitam obtulit rectam servans conscientiam in fidelitate erga Evangelium et pro humanae personae dignitate, Beati nomine in posterum appelletur, eiusque festum die vicesima prima mensis Maii in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus minime quibuslibet officientibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVI mensis Octobris, anno MMVII, Pontificatus Nostri tertio.

De mandato Summi Pontificis
THARSICIUS card. BERTONE
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 54.413

V

Venerabili Dei Servae Iosephinae Nicoli caelitum Beatorum tribuitur dignitas.

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. — « Quae sui oblita ad Deum proximumque sese dicat, ea perfecta est Filia a Caritate ».

Adhortatio haec, quam Dei Serva suis alumnis commendare Moderatrix solebat, insigniter totam eius vitam significat, Deo quidem et pauperibus dicatam.

Casatisma in oppido Papiae, dioecesis Derthonensis, die XVIII mensis Novembris anno MDCCCLXIII orta est. A pueritia inde gratuito pueros egenos docebat, cotidie orabat atque eucharisticam alimoniam sumere consueverat. Vitae consecratae studuit atque, suadente moderatore spiritali presbytero Iacobo Prinetti (qui vixit annis MDCCCXLIV-MCMVIII) ipsoque Venerabilis Dei Servi Felicis fratre, mense Decembri anno MDCCCLXXXIII Seminarium Societatis Filiarum a Caritate sancti Vincentii de Paul, XX annos nata, est ingressa.

Praeter aliquod tempus, quod annis MCMX-MCMXII Augustae Taurinorum insumpsit, ubi Oeconoma fuit Provincialis et Seminarii Moderatrix, suam vitam in Sardinia in Dioecesi Calaritana et Turritana exegit.

Calaritanam in urbem anno MDCCCLXXXV est missa, ut apud regium Conservatorium Filiarum Providentiae doceret. Eodem tempore catechizandis iuvenibus, scholae alumnis, operariis pauperibusque operam dabat. XV annos Calaritana in urbe mansit, usque ad annum videlicet MDCCCXCIX, atque X annos antistita fuit Asili Marinae, ab anno MCMXIV usque ad mortem, quae anno MCMXXIV evenit. Catechesim ceterum scholae alumnis et operariis Societatis Piae Consociationis Filiorum Mariae (qui *Luigini* populari sermone appellabantur, ex sancii Aloisii tutela) tradebat, quam ipsa condiderat quamque regebat.

Sacceritana in urbe annis MDCCCXCIX-MCMX mansit. Hic quoque soror Nicoli iuvenibus instituendis operam dedit. Consociationem Filiarum Mariae est moderata atque omnino operibus Dominarum a Caritate favit, quae inibi maxime viguerunt. Quae quidem etiam Calaritana in urbe, immo maiora, patravit.

Institutio quaedam peculiarem in modum sorori Nicoli cordi fuit: *Marianelli* vel *Monelli* Mariae, qui dicebantur. Huius operis propositum fuit ab otio Calaritanos iuvenes arcere et a vagando, qui parentibus praesidioque aliquo carebant. Mense Decembri anno MCMXXIV a bronchopneumonia correpta, cubitum ire debuit. Die XXVII mensis Decembris oleo infirmorum munita, die XXXI mensis eiusdem, LXI annos nata, obiit. Familiares, apud parentes eam sepelire cupientes, petitionibus concesserunt Calaritanorum, qui in insula suam tenere voluerunt sororem. Continuata diffusaque sanctitatis inter fideles fama effecit ut Archiepiscopus Calaritanus anno MCMXXX beatificationis canonizationisque Causam incoharet. Theologis Consultoribus in Peculiari Consilio diei IV mensis Februarii anno MMV et Patribus Cardinalibus Episcopisque in Sessione Ordinaria diei XVII mensis Maii anno MMVI faventibus, Nos Ipsi facultatem fecimus ut Congregatio de Causis Sanctorum Decretum de virtutibus heroum in modis exercitis die XXVIII mensis Aprilis anno MMVI et Decretum de miraculo die VI mensis Iulii anno MMVII evulgaret. Statuimus ergo ut Beatificationis ritus Calaritana in urbe die III mensis Februarii huius anni MMVIII celebraretur.

Hodie igitur de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Iosephus S.R.E. Cardinalis Saraiva Martins, Congregationis de Causis Sanctorum

Praefectus, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos in Beatorum numerum Venerabilem Servam Dei Iosephinam Nicoli adscribimus:

Nos, vota Fratris Nostri Iosephi Mani, Archiepiscopi Calaritani, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Serva Dei Iosephina Nicoli, sodalis Instituti Filiarum a Caritate, quae vitam suam impendit pauperibus iuvandis iuvenibusque educandis, Beatae nomine in posterum appelletur, eiusque festum die tertia Februarii in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus minime quibuslibet officientibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die III mensis Februarii, anno MMVIII, Pontificatus Nostri tertio.

De mandato Summi Pontificis
THARSICIUS card. BERTONE
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 76.512

VI

Venerabilibus Servis Dei Avellino Rodríguez Alonso, presbytero professo ex Ordine Fratrum Sancti Augustini, et XCVII Sociis eiusdem Ordinis, necnon VI Sociis ex clero dioecesano, Beatorum martyrum honores decernuntur.

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. — «Semper enim nos, qui vivimus, in mortem tradimur propter Iesum» (*2 Cor* 4,11).

Venerabilis Servus Dei Avellinus Rodríguez Alonso, presbyter professus ex Ordine Fratrum Sancti Augustini, et XCVII Socii eiusdem Ordinis, necnon VI Socii ex clero dioecesano, propria vita testimonium dederunt suae fidelitatis Christo Domino. Nam omnes in odium fidei occisi sunt saeviente persecutione religiosa in Hispania, annis MCMXXXVI-MCMXXXIX, quo tempore fuit Ecclesiae in Hispania summum praebendum fidei signum per tot suorum filiorum sanguinis effusionem.

I. In archidioecesi Matritensi necati sunt LXV Servi Dei, omnes sodales Ordinis Fratrum Sancti Augustini. Nominatim:

A. Die XXVIII mensis Novembris anno MCMXXXVI in loco vulgo dicto *Paracuellos de Jarama* occisi sunt:

1. Avellinus Rodríguez Alonso, presbyter, natus die IX mensis Novembris anno MDCCCLXXIX in loco *Santiagomillas,* in dioecesi Asturicensi, LVII annos natus.
2. Benedictus Alcalde González, presbyter, LIII annos natus.
3. Sabinus Rodrigo Fierro, presbyter, LXI annos natus.
4. Bernardinus Álvarez Melcón, presbyter, XXXIII annos natus.
5. Samuel Pajares García, presbyter, XXIX annos natus.
6. Emmanuel Álvarez Rego, presbyter, XXVIII annos natus.
7. Balbinus Villarroel Villarroel, presbyter, XXVI annos natus.
8. Sennen García González, presbyter, XXXI annos natus.
9. Lucinius Ruiz Valtierra, philosophiae alumnus, XXI annos natus.
10. Iosephus Peque Iglesias, theologiae alumnus, XXI annos natus.
11. Ioannes Baldajos Pérez, laicus professus, LXIV annos natus.
12. Marcus Pérez Andrés, aspirans, XIX annos natus.

B. Die XXX mensis Novembris anno MCMXXXVI in loco *Paracuellos de Jarama* occisi sunt:

13. Marianus Revilla Rico, presbyter, XLIX annos natus.
14. Ioannes Monedero-Fernández, presbyter, LV annos natus.
15. Benedictus Rodríguez González, presbyter, LXIII annos natus.
16. Michael Cerezal Calvo, presbyter, LXV annos natus.
17. Augustinus Renedo Martino, presbyter, LXVI annos natus.
18. Franciscus Marcos del Río, presbyter, LXII annos natus.
19. Iosephus Antonius Fariña Castro, presbyter, LVII annos natus.
20. Gerardus Gil Leal, presbyter, LXV annos natus.
21. Constantinus Malumbres Francés, presbyter, LXIV annos natus.
22. Benedictus Gamelo Álvarez, presbyter, LX annos natus.
23. Ioannes Sánchez Sánchez, presbyter, LIV annos natus.
24. Ioachimus García Ferrero, presbyter, LII annos natus.
25. Benedictus Velasco Velasco, presbyter, LII annos natus.
26. Aloisius Suárez Valdés, presbyter, LXII annos natus.
27. Iulianus Zarco Cuevas, presbyter, XLIX annos natus.
28. Melchior Martínez Antuña, presbyter, XLVII annos natus.
29. Stephanus García Suárez, presbyter, XLV annos natus.
30. Matthias Espeso Cuevas, presbyter, XXXV annos natus.
31. Arturus García de la Fuente, presbyter, XXXIV annos natus.
32. Heliodorus Merino Merino, presbyter, XXXV annos natus.
33. Conradus Rodríguez Gutiérrez, presbyter, XXXV annos natus.
34. Petrus de la Varga Delgado, presbyter, XXXII annos natus.
35. Petrus Martínez Ramos, presbyter, XXXIV annos natus.
36. Damasus Arconada Merino, presbyter, XXXII annos natus.
37. Iesus Largo Manrique, presbyter, XXIV annos natus.
38. Nemesius García Rubio, diaconus, theologiae alumnus, XXIV annos natus.
39. Dionysius Terceño Vicente, diaconus, theologiae alumnus, XXIV annos natus.
40. Iosephus López Piteira, diaconus, theologiae alumnus, XXIII annos natus.
41. Iulius Marcos Rodríguez, theologiae alumnus, XXII annos natus.
42. Iosephus Gando Uña, theologiae alumnus, XXVI annos natus.
43. Nemesius Díez Fernández, diaconus, theologiae alumnus, XXIII annos natus.

44. Marcus Guerrero Prieto, theologiae alumnus, XXI annos natus.
45. Petrus Carvajal Pereda, laicus professus, XXIV annos natus.
46. Iosephus Noriega González, theologiae alumnus, XXI annos natus.
47. Ramirus Alonso López, philosophiae alumnus, XXI annos natus.
48. Maximus Valle García, philosophiae alumnus, XXI annos natus.
49. Bernardinus Calle Franco, philosophiae alumnus, XX annos natus.
50. Iulius Maria Fincias, philosophiae alumnus, XX annos natus.
51. Franciscus Fuente Puebla, philosophiae alumnus, XX annos natus.
52. Petrus Simón Ferrero, philosophiae alumnus, XX annos natus.
53. Victor Cuesta Villalba, philosophiae alumnus, XIX annos natus.
54. Iosephus Antonius Pérez García, philosophiae alumnus, XVIII annos natus.
55. Romanus Martín Mata, philosophiae alumnus, XVIII annos natus.
56. Michael Iturrarán Laucirica, philosophiae alumnus, XVIII annos natus.
57. Aloisius Abia Melendro, philosophiae alumnus, XVII annos natus.
58. Macarius Sánchez López, laicus professus, LII annos natus.
59. Iosephus Maria Dalmau Regas, laicus professus, L annos natus.
60. Richardus Marcos Reguero, laicus professus, XLV annos natus.
61. Thomas Sánchez López, laicus professus, XLVI annos natus.
62. Gerardus Pascual Mata, laicus professus, XXI annos natus.
63. Isidorus Mediavilla Campos, laicus professus, XXIII annos natus.

C. Die XXIV mensis Iulii anno MCMXXXVI prope locum *Leganés* occisus est:

64. Iosephus Esnaola Urteaga, presbyter, XLIII annos natus.

D. Die XXIV mensis Iulii anno MCMXXXVI prope urbem Matritensem occisus est:

65. Antonius Maria Arriaga Anduinza, theologiae alumnus, XXXIII annos natus.

II. In dioecesi Conchensi necati sunt XI Servi Dei, videlicet X sodales Ordinis Fratrum Sancti Augustini atque unus sacerdos dioecesanus. Nominatim:

A. Nocte inter dies XXVII et XXVIII mensis Iulii anno MCMXXXVI prope locum *Belinchón,* intra fines Conchensis dioecesis, occisi sunt:

66. Iosephus Gutiérrez Arranz, presbyter, LIII annos natus.
67. Iosephus Aurelius Calleja del Hierro, presbyter, XXXV annos natus.
68. Henricus Serra del Chorro, presbyter, XXXVII annos natus.
69. Antolinus Astorga Díez, presbyter, XXX annos natus.
70. Vincentius Toledano Valenciano, presbyter dioecesanus, XXXV annos natus.

B. Die XXVIII mensis Iulii anno MCMXXXVI prope locum *Vallecas*, intra fines archidioecesis Matritensis, occisi sunt:

71. Laurentius Arribas Palacio, presbyter, LVI annos natus.

72. Primitivus Sandín Miñambres, presbyter, XLIII annos natus.

73. Petrus Alonso Fernández, presbyter, XLVIII annos natus.

74. Froilanus Lanero Villadangos, presbyter, XXVI annos natus.

C. Die XXI mensis Septembris anno MCMXXXVI prope coemeterium Conchense occisi sunt:

75. Hyacinthus Martínez Ayuela, presbyter, LIV annos natus.

76. Nicolaus de Mier Francisco, presbyter, XXXIII annos natus.

III. In archidioecesi Ovetensi necati sunt IX Servi Dei, omnes sodales Ordinis Fratrum Sancti Augustini. Nominatim:

A. Nocte inter dies XIV et XV mensis Augusti anno MCMXXXVI in loco *Las Caldas* occisus est:

77. Severianus Montes Fernández, presbyter, XLIX annos natus.

B. Inter dies XXIV et XXVII mensis Augusti anno MCMXXXVI in loco *Gijón* occisi sunt:

78. Florentius Alonso Ruiz, presbyter, XLVII annos natus.

79. Ioannes Pérez Rodríguez, presbyter, LIX annos natus.

C. Inter dies III et VI mensis Septembris anno MCMXXXVI in loco *Gijón* occisus est:

80. Vitalis Ruiz Vallejo, presbyter, XLIV annos natus.

D. Die XXVIII mensis Octobris anno MCMXXXVI in urbe Santanderiensi occisi sunt:

81. Claudius Iulianus García San Román, presbyter, XXXII annos natus.

82. Leontius Lope García, laicus professus, XXXIV annos natus.

E. Die XVIII mensis Decembris anno MCMXXXVI in urbe Santanderiensi occisi sunt:

83. Michaël San Román Fernández, presbyter, LVII annos natus.

84. Eugenius Cernuda Febrero, presbyter, XXXVI annos natus.

F. Inter dies XXI et XXII mensis Decembris anno MCMXXXVI in urbe Santanderiensi occisus est:

85. Epiphanius Gómez Álvaro, presbyter, LXII annos natus.

IV. In dioecesi Malacitana necati sunt VI Servi Dei, videlicet IV sodales Ordinis Fratrum Sancti Augustini, unus sacerdos dioecesanus et unus diaconus qui eandem sortem sunt passi. Nominatim:

A. Die XV mensis Augusti anno MCMXXXVI Malacae occisus est:

86. Emmanuel Formigo Giráldez, presbyter, XLII annos natus.

B. Inter dies XXIV et XXV mensis Augusti anno MCMXXXVI Malacae occisi sunt:

87. Fortunatus Merino Vegas, presbyter, XLIV annos natus.
88. Aloisius Gutiérrez Calvo, laicus professus, XLVIII annos natus.

C. Die XXI mensis Septembris anno MCMXXXVI Malacae occisus est:

89. Didacus Hompanera Paris, laicus professus, XXIV annos natus.

D. Inter dies XXX et XXXI mensis Augusti anno MCMXXXVI Malacae occisus est:

90. Henricus Vidaurreta Palma, presbyter dioecesanus, XL annos natus.

E. Die XV mensis Novembris anno MCMXXXVI in loco *Alora* occisus est:

91. Ioannes Duarte Martín, diaconus dioecesanus, XXIV annos natus.

V. In dioecesi Albasitensi necati sunt XIII Servi Dei, videlicet X sodales Ordinis Fratrum Sancti Augustini et III sacerdotes dioecesani. Nominatim:

A. Die V mensis Augusti anno MCMXXXVI prope locum *Caudete* occisi sunt:

6. Evangelizatio, praeterea, possibilitas quaedam exstat, ut non solum locupletentur destinatarii eius sed etiam actores eius, quinimmo et universa Ecclesia. Ut exemplum proponamus, in processu inculturationis, universalis Ecclesia ipsa « sese exprimendi rationibus locupletatur ac bonis in multiplici vitae christianae regione [...]; multo melius Christi mysterium percipit et exponit congruentius, dum ad continentem sui renovationem impellitur ».[17] Nam Ecclesia inde a Pentecostes die suae missionis universalitatem patefecit, assumens in Christo, innumeras humanae historiae hominum divitias omnium temporum omniumque regionum.[18] Praeter intrinsecum bonum suum anthropologicum, congressio quaeque vel occursus cum persona vel cultura certa et definita, potest in lucem adducere nonnullas Evangelii potentialitates, parum antea explicatas, quibus ditior fiet concreta christianorum et Ecclesiae vita. Huiusmodi etiam freta dynamismo, « quae est ab Apostolis traditio sub assistentia Spiritus Sancti in Ecclesia proficit ».[19]

Etenim Spiritus Sanctus, qui operatus est Iesu Christi incarnationem in virginali Mariae gremio, adhuc vivificat maternam Ecclesiae navitatem ad culturas evangelizandas. Et licet sit Evangelium nullis obnoxium culturis, tamen eas omnes imbuere valet, quin vicissim ab eisdem in servitutem redigatur.[20] Hac ratione, Spiritus Sanctus primas habet quoque partes in Evangelii inculturatione; ipse fecundis fructibus praeest dialogo inter Dei Verbum, in Christo revelatum, et quaestiones intimas ab hominum culturarumque orientes multiplicitate. Pergit ergo per historiae decursum, in unitate unius et eiusdem fidei, Pentecostes eventus, in dies qui fit ditior, per sermonum culturarumque varietatem.

7. Homo, qui sua navitate ceteris communicat eventus et veritates magni momenti ad religionem quod attinet, comiter ut recipiantur, non solum intime consonat cum natura humani processus, dialogum, nuntium et cognitio-

[17] Ioannes Paulus II, Litterae encyclicae *Redemptoris missio,* 7 Decembris 1990, n. 52: *AAS* 83 (1991), 300.

[18] Cfr Ioannes Paulus II, Litterae encyclicae *Slavorum Apostoli,* 2 Iunii 1985, n. 18: *AAS* 11 (1985), 800.

[19] Concilium Oecumenicum Vaticanum II, Constitutio dogmatica de divina Revelatione *Dei Verbum,* n. 8.

[20] Cfr Paulus VI, Adhortatio apostolica *Evangelii nuntiandi,* 8 Decembris 1975, nn. 19-20: *AAS* 69 (1976), 18-19.

nem spectantis, verum etiam respondet alteri magni momenti anthropologicae rei: homo enim naturaliter desiderat cum ceteris sua bona participare. Boni Nuntii susceptio in fide per se impellit ad huiusmodi commercium. Veritas qua vita redimitur, suscipientis cor accendit tanta erga proximum caritate, ut libere idem moveatur ad reddendum quod gratuito susceperit.

Quamvis ergo per gratiam, quam Deus « viis sibi notis »[21] largitur, homines Christum ignorantes salvi fieri possint, tamen Ecclesia neglegere non potest quod iidem maximo in hoc mundo illo careant bono, quod est verum Dei vultum cognoscere et amicitia frui cum Christo, qui est Nobiscum-Deus. Nam, quid esse potest suavius quam arripi, quam inopinato deprehendi ab Evangelio, ab ipsoque Christo? Quid item pulchrius quam Ipsum cognoscere ceterisque propria cum Ipso amicitiam communicare?[22] Magnum enim exstat bonum homini cuique veritatum revelatio fundamentalium[23] de Deo, de se ipso et de mundo; cum, econtra, sine luce vivere, nulla cognita veritate de ultimis quaestionibus, malum sit, ex quo saepe oriuntur dolores et servitutes nonnumquam atroces. Propterea Apostolus Paulus prorsus conversionem ad christianam fidem declarat ut quandam liberationem « de potestate tenebrarum » et ingressum « in regnum Filii dilectionis suae, in quo habemus redemptionem, remissionem peccatorum » (*Col* 1, 13-14). Igitur plena adhaesio ad Christum, qui Veritas est, et ingressus in Ecclesiam eius non minuunt quin immo extollunt hominis libertatem eamque dirigunt ad suam perfectionem, per gratuitam et studiosissimam caritatem pro cunctorum hominum bono. Donum exstat sine pretio vivere in tot universorum Dei amicorum amplexu, qui scaturit ex communione cum carne vivificante Filii eius, item suscipere ab Ipso peccatorum remissionis certitudinem, necnon item vivere in caritate, quae ex fide oritur. Quae bona curat Ecclesia omnibus participanda, ut veritatis plenitudinem sic consequantur una cum salutis auxiliis, « in libertatem gloriae filiorum Dei » (*Rom* 8, 21).

[21] Concilium Oecumenicum Vaticanum II, Decretum de activitate missionali Ecclesiae *Ad gentes*, n. 7; cfr Constitutio dogmatica de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 16; Constitutio pastoralis de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, n. 22.

[22] Cfr Benedictus XVI, Homilia in sollemni initio ministerii Summi *Ecclesiae Pastoris*, 24 Aprilis 2005: *AAS* 97 (2005), 711.

[23] Cfr Concilium Oecumenicum Vaticanum I, Constitutio dogmatica de fide catholica *Dei Filius*, n. 2: « Huic divinae revelationi tribuendum quidem est, ut ea, quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani condicione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint (cfr S. Thomas Aquinas, *Summa Theologiae*, I, 1, 1) » (DH 3005).

8. Evangelizatio secumfert quoque sincerum dialogum, qui nititur intellegere conloquentium rationes et sensus. Ad cor hominis, enim, nemo accedit quin liberalitate muniatur et caritate et habitu dialogi, ut verbum quod nuntiatur non sit tantum prolatum, verum etiam, quantum potis est, confirmatum in corde eorum ad quos mittitur. Quod ne neglegantur postulat spes et dolores, necnon concreta rerum adiuncta, eorum ad quos sermo dirigitur. Praeterea, per dialogum ipsum, bonae voluntatis viri latius cor suum aperiunt et sincere suas communicant spirituales religiosasque experientias, ut huiusmodi condivisio, quae germanae nota est amicitiae, exquisita fiat christiani testimonii et nuntii occasio.

At, ut evenire potest regionibus in omnibus humanae navitatis, in dialogo quoque, rem spectante religionis, peccatum succedere potest. Scilicet interdum fieri potest ut talis dialogus minime ducatur naturali suo fine, sed potius cedat dolo, suis commodis aut superbiae, et ita neque colloquentium vereretur dignitatem neque religiosam libertatem. Ideo «Ecclesia severe prohibet ne quis ad fidem amplectendam cogatur vel artibus importunis inducatur aut alliciatur, sicut et fortiter vindicat ius ne ullus iniquis vexationibus a fide deterreatur».[24]

Primigenia impulsio ad Evangelium nuntiandum caritas est Christi pro aeterna hominum salute. Germani evangelizatores hoc unum optant: donare scilicet gratuita ratione quod ipsi gratuito susceperint: «Ab ipsis Ecclesiae exordiis discipuli Christi adlaborarunt, ut homines ad Christum Dominum confitendum converterent, non actione coercitiva neque artificiis Evangelio indignis, sed imprimis virtute verbi Dei».[25] Apostolorum missio eiusque continuatio in Ecclesiae antiquae missione exstat fundamentale evangelizationis exemplar tempore in omni: quae missio saepe martyrio est signata, ut historia ipsa elapsi iam saeculi confirmat. Martyrium prorsus testes credibiles efficit, qui non imperium neque lucrum quaerunt, sed potius suam vitam pro Christo ponunt; quique mundo manifestant inermem virtutem amore refertam pro hominibus, datam ei qui Christum sequitur usque ad totale suae ipsius existentiae donum. Ideo, Christifideles, a primordiis christianae religionis ad nostra usque tempora, persecutiones Evangelii causa passi sunt, ut Dominus Iesus praedixerat: «Si me persecuti sunt, et vos persequentur» (*Io* 15, 20).

[24] Concilium Oecumenicum Vaticanum II, Decretum de activitate missionali Ecclesiae *Ad gentes*, n. 13.

[25] Concilium Oecumenicum Vaticanum II, Declaratio de libertate religiosa *Dignitatis humanae*, n. 11.

III. Quaedam ecclesiologica consectaria

9. Inde a die Pentecostes, qui fidem plene suscipit, credentium corpori consociatur: « Qui ergo, recepto sermone eius [Petri], baptizati sunt; et appositae sunt in illa die animae circiter tria milia » (*Act* 2, 41). Item inde a primordiis Evangelium, in virtute Spiritus, nuntiatur omnibus hominibus, ut credant et fiant Christi discipuli atque eius Ecclesiae membra. In operibus quoque Ecclesiae Patrum assiduae inveniuntur adhortationes ad perficiendam missionem, quam Christus discipulis concredidit.[26] Plerumque vox « conversio » adhibetur quod attinet officium ducendi paganos ad Ecclesiam. Nihilo minus, conversio (Graeco sermone *metanoia*) sensu proprie christiano, mutatio est mentis et actionum, ut signum novae *in Christo* vitae per fidem proclamatae: agitur ergo de continua reformatione mentis et actionum quae tendat ad crebriorem cum ipso Christo conformationem (cfr *Gal* 2, 20), ad quam vocantur praeprimis qui baptismum susceperunt. Id prorsus significat invitatio quam Iesus protulit: « paenitemini et credite evangelio » (*Mc* 1, 15; cfr *Mt* 4, 17).

Christianorum aperta promptaque voluntas semper passionem expressit ducendi ad Christum et ad Ecclesiam universam hominum consortionem. Nam incorporatio novorum membrorum in Ecclesia minime est habenda ut numerica extensio coetus dominantis, sed ingressus in amicitiae retia cum Christo, quae caelum et terram, varias orbis regiones et temporis aetates, coniungunt. Etenim hic ingressus est in donum communionis cum Christo, qui « vita nova » est caritate animata necnon iustitiae studio. Ecclesia igitur est instrumentum — « germen et initium »[27] — Regni Dei, minime commenticia politica utopia. Eadem iam Dei in historia praesentiam manifestat et in se quoque continet verum futurum aevum, quae definitivum est, in quo Ipse erit « omnia in omnibus » (*1 Cor* 15, 28); praesentia quae necessaria exstat, quia unus Deus potest pacem mundo inferre veramque iustitiam. Dei Regnum minime est — ut quidam nostra aetate autumant — generica res impendens omnibus experientiis vel traditionibus religiosis, quae ad eam tendere debeant tamquam ad universalem et confusam communionem om-

[26] Cfr, v. g., Clemens Alexandrinus, *Protrepticus* IX 87, 3-4 (*Sources chrétiennes,* 2,154); Aurelius Augustinus, *Sermo* 14 D [= 352 A], 3 (Nuova Biblioteca Agostiniana, XXXV/1, 269-271).

[27] Concilium Oecumenicum Vaticanum II, Constitutio dogmatica de Ecclesia *Lumen gentium,* n. 5.

nium quaerentium Deum, «sed est ante omnia persona, quae vultum habet et nomen Iesu Nazarethani, imaginis Dei invisibilis».[28] Ideo humani cordis liber quique motus ad Deum et Regnum eius nonnisi ad Christum adducere, natura sua, potest et ad dirigendum ingressum in eius Ecclesiam, quae Regni illius efficax signum exstat. Ecclesia ergo est vehiculum praesentiae Dei ideoque instrumentum verae humanizationis et hominis et mundi. Expansio historica Ecclesiae, ad quam tendit missio, inservit praesentiae Dei per Regnum eius; «illud namque nec a Christo nec ab Ecclesia seiungi potest».[29]

10. Attamen, missionarius nuntius «Ecclesiae in discrimine hodie ponitur a theoriis indolis relativisticae, quae comprobare conantur pluralismum religiosum, non solum *de facto* sed etiam *de iure* (vel *de principio*).[30] Iam dudum suppeditata talis est rerum condicio, ut nonnulli christifideles in dubium revocaverint rationem ipsam exstandae evangelizationis.[31] Prorsus affirmatur quod contendere se dono suscepisse plenitudinem Revelationis Dei celare agendi morem intolerantia nixum atque periculum ad pacem quod spectat.

Si quis huiuscemodi cogitaverit, ignorabit quod plenitudo veritatis doni, quam Deus largitur, cum se homini revelat, veneratur eam libertatem quam Ipse creat ut indelebile naturae humanae notam, videlicet illam libertatem quae alia est ac indifferens esse, sed potius ad bonum intendere. Venerationem hanc postulant ipsa catholica fides et Christi caritas, cum sit pars essentialis evangelizationis et ideo bonum promovendum inseparabiliter a studio cui quis sese impendit ut homines cognoscant et amplectantur plenitudinem salutis quam Deus homini largitur in Ecclesia.

[28] Cfr de hac re, Ioannes Paulus II, Litterae encyclicae *Redemptoris missio,* 7 Decembris 1990, n. 18: *AAS* 83 (1991), 265-266: «Si Regnum a Iesu separato, non iam exsistit Regnum Dei ab eo revelatum et fit ut in malam partem tum Regni significatio accipiatur, quod periculum est ne mutetur in institutum modo humanum et ideologicum, tum Christi natura, qui non iam Dominus apparet cui omnia subiecta esse debent (cfr *1 Cor* 15, 27)».

[29] Ioannes Paulus II, Litterae encyclicae *Redemptoris missio,* 7 Decembris 1990, n. 18: *AAS* 83 (1991), 266. Quod attinet ad mutuas necessitudines Ecclesiae cum Regno, cfr etiam Congregatio pro Doctrina fidei, Declaratio *Dominus Iesus,* 6 Augusti 2000, nn. 18-19: *AAS* 92 (2000), 759-761.

[30] Congregatio pro Doctrina Fidei, Declaratio *Dominus Iesus,* 6 Augusti 2000, n. 4: *AAS* 92 (2000), 744.

[31] Cfr Paulus VI, Adhortatio apostolica *Evangelii nuntiandi,* 8 Decembris 1975, n. 80: *AAS* 69 (1976), 73: «quae causa est, cur Evangelium nuntietur, si omnes cordis probitate salutem consequuntur? Constat, praeterea — aiunt — et mundum et historiam seminum verbi plena esse: eo velle Evangelium portare, ubi iam idem in seminibus inest, a Domino satis, nonne est falsa opinione duci?».

Haec sane debita reverentia erga religiosam libertatem[32] et eiusque provectionem « nequaquam indifferentes erga veritatem et bonum nos reddere debent. Immo caritas ipsa discipulos Christi urget ad veritatem salutarem omnibus hominibus annuntiandam ».[33] Haec caritas magni pretii sigillum exstat Spiritus Sancti, qui primas cum habeat partes in evangelizatione,[34] non desinit corda movere et aperire ad Evangelii nuntium suscipiendum. Huiusmodi caritas est, quae in corde Ecclesiae viget, unde ut amoris ignis diffunditur usque ad terminos terrae et usque ad cor hominis cuiusque. Etenim, totis suis viribus cor hominis cupit Domino Iesu Christo occurrere.

Intellegitur ergo cur urgeat Christi adhortatio ad evangelizandum et cur missio Apostolis concredita a Domino, ad cunctos referatur baptizatos. Iesu enim verba: « Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis » (*Mt* 28, 19-20), omnes et singulos in Ecclesia interrogant, secundum uniuscuiusque vocationem. Et, in praesenti tempore, coram tot personis, quae in diversis *deserti* formis vivunt, potissimum « in deserto sine Dei luce, exilitatis animarum quae sunt iam orbatae dignitatis conscientia et hominis itinere »,[35] Pontifex Benedictus XVI orbem Universum admonuit « Ecclesiam totam, et Pastores in ipsa, ut Christum proficisci debere, ut homines ducant ex deserto ad vitae regionem, ad amicitiam cum Dei Filio, ad Eum qui nobis vitam largitur, videlicet plenitudinem vitae ».[36]

Apostolicum huiusmodi munus non solum est officium verum etiam ius, cui renuntiari non potest, cum sit libertatis religiosae genuina expressio, cui

[32] Cfr Benedictus XVI, Allocutio *Expergiscere,* III. Allocutio ad Romanam Curiam ob omina natalicia, die 22 Decembris 2005: *AAS* 98 (2006), 50: « si religionis libertas haberetur ut documentum hominis impotentiae veritatem inveniendi, et idcirco fieret veluti canonizatio relativismi, tum vero eadem ab sociali et historica necessitate improprie extolleretur ad metaphysicum gradum, itaque tantum expoliaretur vero suo sensu, ut sumi nequeat a quocumque credat hominem esse capacem Dei veritatis cognoscendae et interiore perspecta veritatis dignitate huiusmodi scientiae innitatur. Longe aliud est econtra religionis libertatem habere veluti quandam necessitatem ex hominum convictu procedentem, quinimmo veluti quoddam intrinsecum veritatis consequens, quod extrinsecus imponi nequeat, sed ab homine debeat suum fieri per persuasionis processum ».

[33] Concilium Oecumenicum Vaticanum II, Constitutio pastoralis de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* n. 28; cfr Paulus VI, Adhortatio apostolica *Evangelii nuntiandi,* 8 Decembris 1975, n. 24: *AAS* 69 (1976), 21-22.

[34] Cfr Ioannes Paulus II, Litterae encyclicae *Redemptoris missio,* 7 Decembris 1990, nn. 21-30: *AAS* 83 (1991), 268-276.

[35] Benedictus XVI, Homilia in sollemni initio ministerii Summi Ecclesiae Pastoris, 24 Aprilis 2005: *AAS* 97 (2005), 710.

[36] *Ibidem.*

respondent vicissim ethicae et sociales, atque ethicae et politicae, rationes.[37] Hoc ius tamen, proh dolor, in quibusdam orbis regionibus, nondum legibus agnoscitur et in nonnullis aliis de facto minime observatur.[38]

11. Evangelii praeco participat Christi caritatem, qui « dilexit nos et tradidit seipsum pro nobis » (cfr *Eph* 5, 2), cumque legatus Eius exstet supplicat in Christi nomine: « Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo! » (cfr *2 Cor* 5, 20). Caritas huiusmodi est expressio gratitudinis illius, quae a corde hominis effunditur quando amori panditur a Christo Iesu donato, videlicet Amori illi qui per Universum pervolvitur.[39]

Ratione hac declarantur ardor, fiducia et libertas loquendi (Graeco sermone: *parrhesia*), in Apostolorum praedicatione evidentes (cfr *Act* 4, 31; 9, 27-28; 26, 26; etc.), ut Agrippa rex expertus est Paulum cum audivisset: « In modico suades me Christianum fieri! » (*Act* 26, 28).

Evangelizatio non solum publica praedicatione Evangelii, nec tantummodo publicis operibus fit, sed etiam testimonio vitae personalis, quae efficax medium evangelizationis semper est. Reapse, « praeter illam Evangelii nuntiationem, quam generalem publicamque opportune dixerimus, semper probanda est suumque tenet momentum alia tradendi Evangelii forma, ab altera ad alteram pertingens personam. [...] Fieri sane non debet, ut necessitate Bonum Nuntium afferendi ad multitudines hominum oblitteretur memoria huiusce formae, qua personalis hominis conscientia contingitur, quippe cum moveatur mirifico admodum verbo, quod ab altero accipit ».[40]

Quomodocumque est, ad mentem revocare oportet quod in tradendo Evangelio verbum prolatum et vitae testimonium pari ratione concrescunt;[41] praeprimis enim, ut veritatis lux fulgeat coram omnibus hominibus, opus est sanctitatis testimonium; quod si verbum mendacio morum coarguatur, non facile suscipitur. « Sed neque illud umquam sufficiet, quoniam etiam pulcher-

[37] Cfr Concilium Oecumenicum Vaticanum II, Declaratio de libertate religiosa *Dignitatis humanae,* n. 6.

[38] Etenim, ubi leges agnoverint ius religiosae libertatis, ibi solet quoque agnosci cuiusque ius aliis communicandi suas persuasiones, integre aliorum conscientia observata, ad fovendum quoque ingressum in suam religionis communitatem, cui quis sit adscriptus, ut est pariter sancitam innumeris iuridicis constitutionibus coaevis, necnon iurisprudentia hac in re iam toto orbe diffusa.

[39] Cfr Dantes Alagherius, *Divina Comoedia,* Paradisus, XXXIII, 87.

[40] Paulus VI, Adhortatio apostolica *Evangelii nuntiandi,* 8 Decembris 1975, n. 46: *AAS* 69 (1976), 36.

[41] Cfr Concilium Oecumenicum Vaticanum II, Constitutio dogmatica de Ecclesia *Lumen gentium,* n. 35.

rima testificatio tandem aliquando deficiet, nisi illuminabitur et sustentabitur — quod quidem Sanctus Petrus dicere malebat: rationem reddere de ea, quae in vobis est, spe (*1 Pt* 3, 15) — et enucleabitur per claram neque ambiguam nuntiationem Domini Iesu ».[42]

IV. Quaedam oecumenica consectaria

12. Inde ab exordiis oecumenicus motus evangelizationi intime conexus est. Unitas, enim, sigillum exstat quod attinet credibilitatem missionis, ideo Concilium Oecumenicum Vaticanum II aegre tulit aperte quod scandalum divisionis detrimentum afferret « sanctissimae causae praedicandi Evangelium ».[43] Dominus ipse Iesus, pridie quam morti traderetur, oravit: « ut omnes unum sint... ut mundus credat quia tu me misisti » (*Io* 17, 21).

Universalis est Ecclesiae missio neque circumscripta certis orbis terrarum regionibus. Evangelizatio, tamen, vario modo ad actum deducitur, pro varia rerum in qua fit condicione. Sensu proprio exstat « missio ad gentes », videlicet ad eos qui nondum Christum cognoverunt. Sensu lato adhibetur vox « evangelizatio », pro ratione ordinaria pastoralis muneris; et « nova evangelizatio », pro ea quae dirigitur ad illos qui christianam vivendi formam iam reliquerunt;[44] praeterea non est obliviscenda evangelizatio, quae fit in nationibus christianis, sed non catholicis, potissimum si sint perantiquae traditionis et christianae culturae. Hic requiritur tam vera reverentia erga eorum traditionem et erga eorum spirituales divitias, quam germanus cooperationis spiritus. Ergo, « seclusa omni tam indifferentismi... quam insanae aemulationis specie, communi, pro quanto datur, professione fidei in Deum et in Iesum Christum coram Gentibus, atque cooperatione in re tam sociali et technica quam culturali et religiosa, catholici fraterne collaborent cum fratribus a se seiunctis ad normas Decreti de Oecumenismo ».[45]

In actuosa actione oecumenica distinguendae sunt variae rationes: imprimis exstat *auditio,* quae condicio habetur fundamentalis dialogi cuiuslibet;

[42] Paulus VI, Adhortatio apostolica *Evangelii nuntiandi,* 8 Decembris 1975, n. 22: *AAS* 69 (1976), 20.

[43] Concilium Oecumenicum Vaticanum II, Decretum de oecumenismo *Unitatis redintegratio,* n. 1; cfr Ioannes Paulus II, Litterae encyclicae *Redemptoris missio,* 7 Decembris 1990, nn. 1, 50: *AAS* 83 (1991), 249, 297.

[44] Cfr Ioannes Paulus II, Litterae encyclicae *Redemptoris missio,* 7 Decembris 1990, n. 34: *AAS* 83 (1991), 279-280.

[45] Concilium Oecumenicum Vaticanum II, Decretum de activitate missionali Ecclesiae *Ad gentes,* n. 15.

deinde exstat *theologica disceptatio*, qua, per conatus intellegendi confessiones, traditiones et persuasiones aliorum, feliciter inveniri demum potest concordia, interdum in discordia abscondita. Et, rebus omnibus huiusmodi coniunctissima, deesse non potest alia essentialis ratio actuosae oecumenicae actionis: scilicet *testimonium* et *nuntius* elementorum, quae non constituunt traditiones peculiares vel theologicas exiguitates, verum sunt ipsius fidei Traditionis.

Sed oecumenismus non fruitur solum una ratione institutionali, qua « contendit ut communionem ex parte, quae est inter christianos, augeat ad plenam communionem in veritate inque caritate »: [46] idem officium est christifidelis cuiusque, imprimis per orationem, paenitentiam, studium et collaborationem. Ubicumque et semper, christifidelis catholicus quisque ius habet et officium testandi et nuntiandi plene suam fidem. Cum christianis non catholicis, christifidelis catholicus inire debet dialogum faventem caritati et veritati: huiusmodi dialogus esse non debet tantum opinationum sed donorum commercium,[47] ut eisdem offeratur plenitudo instrumentorum salutis.[48] Ita quis perducitur ad increscentem in dies altiorem conversionem ad Christum.

Hic prorsus oportet declarare quod si christifidelis quidam, qui catholicus non sit, conscientia sua motus, convincatur de veritate catholica, ideoque quaerat ingredi in plenam catholicae Ecclesiae communionem, id est habendum magna cum reverentia, prout est opus Spiritus Sancti et expressio libertatis conscientiae et religionis. In hoc casu minime agitur de proselytismo, sensu negativo, qui huic termino tribuitur.[49] Ut explicite docet Decretum de Oecumenismo Concilii Oecumenici Vaticani II: « patet autem opus praeparationis ac reconciliationis eorum singulorum, qui plenam communionem catholicam desiderant, ab oecumenico incepto natura sua distingui; nulla

[46] Ioannes Paulus II, Litterae encyclicae *Ut unum sint*, 25 Maii 1995, n. 14: *AAS* 87 (1995), 929.

[47] Cfr *ibidem*, n. 28: *AAS* 87 (1995), 939.

[48] Cfr Concilium Oecumenicum Vaticanum II, Decretum de oecumenismo *Unitatis redintegratio*, nn. 3, 5.

[49] In suis primordiis vox « proselytismus » oritur in ambitu hebraico, ubi vox « proselytus » indicabat virum, qui ex « gentibus » transisset in partes « populi electi ». Item in ambitu christiano quoque vox proselytismus saepe est adhibita ut synonymum missionariae navitatis. Nuper eadem vox negativa nota ditata est tamquam esset publicitas suae cuiusque religioni favens instrumentis rationibusque Evangelii menti contrariis minimeque custodiens hominis libertatem et dignitatem. Qui sensus vocis « proselytismus » permanet in contextu oecumenici motus: cfr *The Joint Working Group between the Catholic Church and the World Council of Churches*, "The Challenge of Proselytism and the Calling to Common Witness", (1995).

tamen adest oppositio, cum utrumque ex Dei mirabili dispositione procedat ».[50] Itaque tali incepto neque quis privatur iure neque responsabilitate dispensatur plene proclamandi catholicam fidem ceteris christianis, qui libere parati sint ad eam suscipiendam.

Ratio huiusmodi postulat natura sua ne adhibeantur cuiuslibet generis sollicitationes: « In fide autem religiosa disseminanda et in usibus inducendis abstinendum semper est ab omni actionis genere, quod coercitionem vel suasionem inhonestam aut minus rectam sapere videatur, praesertim quando de rudioribus vel de egenis agitur ».[51] Testimonium quod veritati est exhibendum non intendit quidpiam neque vi neque actione coercitiva neque artificiis Evangelio indignis imponere. Gratuitum est ipsum caritatis exercitium.[52] Amor et testimonium veritatis hunc habent finem ut homines ad Christum Dominum confitendum convertantur, imprimis virtute verbi Dei (cfr *1 Cor* 2, 3-5; *1 Thess* 2, 3-5).[53] Christiana missio in virtute consistit Spiritus Sancti et ipsius veritatis quae proclamatur.

V. Conclusio

13. Ecclesiae evangelizationis navitas numquam deficiet, quia numquam deerit praesentia Domini Iesu in virtute Spiritus Sancti, quia Ipse promisit: « Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi » (*Mt* 28, 20). Hodierni relativismi et irenismi de religione nullas praebent rationes probandas ut hoc officium, una gravis sed suavis, neglegatur, quod est naturae ipsius Ecclesiae, eiusque est munus potissimum.[54] « Caritas Christi urget nos » (*2 Cor* 5, 14): hoc testatur vita multitudinum fidelium, qui amore Iesu impulsi, per omnem historiae decursum, aggressi sunt multiplicia et varia incepta et opera ad Evangelium nuntiandum mundo universo cunctisque spatiis humanae consortionis, veluti monere vellent atque invitare per saecula omnes christianorum progenies ad mandatum Christi generoso corde

[50] Concilium Oecumenicum Vaticanum II, Decretum de oecumenismo *Unitatis redintegratio,* n. 4.

[51] Concilium Oecumenicum Vaticanum II, Declaratio de libertate religiosa *Dignitatis humanae,* n. 4.

[52] Cfr Benedictus XVI, Litterae encyclicae *Deus caritas est,* 25 Decembris 2005, n. 31 c: *AAS* 98 (2006), 245.

[53] Cfr Concilium Oecumenicum Vaticanum II, Declaratio de libertate religiosa *Dignitatis humanae,* n. 11.

[54] Benedictus XVI, Sermo in Basilica Sancti Pauli, Ostiensi in via, 7 Maii 2005: *AAS* 97 (2005), 745.

adimplendum. Itaque, monente Pontífice Benedicto XVI, «nuntius et testimonium Evangelii, sunt primum officium, quod Christiani donare possunt homini cuique et universo humano generi, utpote vocati ad omnibus communicandum Dei amorem, qui manifestatus est plene in unico mundi Redemptore, Iesu Christo».[55] Amor qui «ex Deo procedit isque nos cum Deo coniungit et hoc in unitatis processu in quiddam veluti "Nos" convertit, quod nostras partitiones praetergreditur et efficit ut unum fiamus, ita ut postremo Deus sit "omnia in omnibus" (*1 Cor* 15, 28)».[56]

Praesentem Notam Doctrinalem, in Sessione Ordinaria deliberatam huius Congregationis, Benedictus XVI, Summus Pontifex, in audientia infrascripto Cardinali Praefecto concessa die VI *mensis Octobris, anno* MMVII*, approbavit et publici iuris fieri iussit.*

Datum Romae, ex aedibus Congregationis pro Doctrina Fidei, die III mensis Decembris, anno MMVII, memoria liturgica S. Francisci Xaverii, Missionum Patroni.

Gulielmus card. Levada
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Angelus Amato S.D.B.
archiep. tit. Silae
a Secretis

[55] Benedictus XVI, Allocutio quadragesimo recurrente anno ab edito Decreto Conciliari «Ad gentes», die 11 Martii 2006: *AAS* 98 (2006), 336.

[56] Benedictus XVI, Litterae encyclicae *Deus caritas est,* 25 Decembris 2005, n. 18: *AAS* 98 (2006), 232.

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

SINUS TORTUOSI

de Cathedralis translatione

DECRETUM

Ut spirituali Populi Dei bono aptius consulatur utque pastorale suum munus efficacius adimplere valeat, Exc.mus P.D. David L. Walker, Episcopus Sinus Tortuosi in Australia, ab Apostolica Sede expostulavit, ut templum paroeciale, in urbe vulgo *Waitara* extans, Deo in honorem Dominae Nostrae a Rosario dicatum, ad dignitatem et fastigium ecclesiae Cathedralis memoratae dioecesis eveheretur.

Congregatio pro Episcopis, praehabito favorabili voto Exc.mi P.D. Iosephi Lazzarotto, Archiepiscopi titularis Numanensis et in Australia Apostolici Nuntii, vigore specialium facultatum sibi, a Summo Pontifice Benedicto, Divina Providentia PP. XVI, tributarum, oblatas preces benigne accipiendas esse censuit.

Quapropter, suppleto, quatenus opus sit, eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, praesenti Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, decernit, ut templum in urbe vulgo *Waitara* exstans, Deo in honorem Dominae Nostrae a Rosario dicatum, titulo ac fastigio ecclesiae Cathedralis decoretur, cum omnibus iuribus, honoribus et privilegiis ac oneribus et obligationibus quae huiusmodi ecclesiis sunt propria.

Ad haec perficienda Congregatio pro Episcopis memoratum Exc.mum P.D. Iosephum Lazzarotto deputat, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad eandem Congregatio-

nem, ubi primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae exsecutionis transmittendi.

Contrariis quibusvis minime obstantibus

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 25 Aprilis anno 2008.

Ioannes Baptista card. Re
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Franciscus Monterisi
a Secretis

In Congr. pro Episcopis tab. n. 117/2008

QUERCOPOLITANAE

de Cathedralis translatione

DECRETUM

Ut spirituali Populi Dei bono aptius consulatur utque pastorale suum munus efficacius adimplere valeat, Exc.mus P.D. Allen H. Vigneron, Episcopus Quercopolitanus, ab Apostolica Sede expostulavit, ut novum templum, in urbe Quercopolitana exstans, Christo Lumini Gentium dicatum, ad dignitatem et fastigium ecclesiae Cathedralis memoratae dioecesis eveheretur.

Congregatio pro Episcopis, praehabito favorabili voto Exc.mi P.D. Petri Sambi, Archiepiscopi titularis Bellicastrensis et in Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis Apostolici Nuntii, vigore specialium facultatum sibi, a Summo Pontifice Benedicto, Divina Providentia PP. XVI, tributarum, oblatas preces benigne accipiendas esse censuit.

Quapropter, suppleto, quatenus opus sit, eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, praesenti Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, decernit, ut novum templum

in urbe Quercopolitana exstans, Christo Lumini Gentium dicatum, titulo ac fastigio ecclesiae Cathedralis decoretur, cum omnibus iuribus, honoribus et privilegiis ac oneribus et obligationibus quae huiusmodi ecclesiis sunt propria.

Ad haec perficienda Congregatio pro Episcopis memoratum Exc.mum P.D. Petrum Sambi deputat, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad eandem Congregationem, ubi primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae exsecutionis transmittendi.

Contrariis quibusvis minime obstantibus

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 21 Iunii anno 2008.

IOANNES BAPTISTA card. RE
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Franciscus Monterisi
a Secretis

In Congr. pro Episcopis tab. n. 515/2008

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Sanctissimus Dominus Ioannes Paulus Pp. II, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros praefecit praesules:

die 9 Iunii 2008. — Titulari episcopali Ecclesiae Gaguaritanae, R.D. Emmanuelem A. Cruz, e clero archidioecesis Novarcensis, hactenus Moderatorem archidioecesanum pro pastorali valetudinis cura, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 10 Iunii. — Cathedrali Ecclesiae Ilaganensi, R.D. Iosephum Amangi Nacua, ex Ordine Fratrum Minorum Capuccinorum, hactenus curionem paroeciae Sancti Isidori Agricolae in praelatura Ipilensi.

die 11 Iunii. — Metropolitanae Ecclesiae Victoriensi de Conquista, Exc.mum P. D. Aloisium Gonzaga Silva Pepeu, O.F.M.Cap., hactenus Episcopum Afogadensem de Ingazeira.

— Cathedrali Ecclesiae Vestphalenianae, R. D. Antonium Carolum Rossi Keller, e clero archidioecesis Sancti Pauli in Brasilia, hactenus eiusdem archidioecesis paroeciae vulgo « Santo Antonio do Limão » dictae parochum.

die 17 Iunii. — Cathedrali Ecclesiae Andegavensi, R.D. Emmanuelem Delmas, e clero dioecesis Cadurcensis, ibique hactenus Vicarium Generalem.

die 18 Iunii. — Cathedrali Ecclesiae Groningensi-Leovardiensi, Exc.mum P.D. Gerardum Ioannem Nicolaum de Korte, hactenus Episcopum titularem Caesariensem in Mauretania et Auxiliarem archidioecesis Ultraiectensis.

die 24 Iunii. — Cathedrali Ecclesiae Sanctae Rosae in Argentina, Exc.mum P.D. Marium Aurelium Poli, hactenus Episcopum titularem Abiddensem et Auxiliarem Bonaërensem.

— Cathedrali Ecclesiae Crucis Axeatae, R.D. Iacobum Olivera, e clero dioecesis Moronensis, hactenus ibidem Vicarium Generalem.

die 27 Iunii. — Titulari episcopali Ecclesiae Neapolitanae in Proconsulari, R.D. Ludgerum Schepers, e clero Essendiensi, hactenus in civitate vulgo Duisburg decanum et paroeciae S. Iudae Thaddaei curionem, quem deputavit Auxiliarem eiusdem dioecesis.

die 28 Iunii. — Titulari episcopali Ecclesiae Suensi, Exc.mum P.D. Iosephum Wróbel, S.C.I., hactenus Episcopum Helsinkiensem, quem deputavit Auxiliarem archidioecesis Lublinensis.

die 30 Iunii. — Ordinariatui Militari Hispaniae, Exc.mum P.D. Ioannem del Río Martín, hactenus Episcopum Assidonensem-Ierezensem.

die 2 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Nigromontanae, noviter erectae, Exc.-mum P. D. Paulum Antonium De Conto, hactenus Criciumensem Episcopum.

— Cathedrali Ecclesiae Portus Nationalis, Episcopum Coadiutorem R.D. Romualdum Matthiam Kujawski, e clero archidioecesis Posnaniensis, hactenus in archidioecesi Palmensi in Brasilia Vicarium episcopalem.

die 3 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Tiburtinae, R. D. Maurum Parmeggiani, e clero dioecesis Romae, hactenus Urbis Praelatum Secretarium.

— Coadiutorem dioecesis Frusinatensis-Verulanae-Ferentinae, R. D. Ambrosium Spreafico, hactenus Pontificiae Universitatis Urbanianae Rectorem.

— Cathedrali Ecclesiae Fulginatensi, R.D. Valtherum Sigismondi, e clero archidioecesis Perusinae-Civitatis Plebis ibique hactenus Vicarium Generalem.

— Metropolitanae Ecclesiae, Sancti Germani, Exc.mum P. D. Petrum Andream Fournier, hactenus Episcopum titularem Dianensem et Auxiliarem archidioecesis Quebecensis.

— Cathedrali Ecclesiae Sancti Hieronymi Terraebonae, Exc.mum P. D. Petrum Morissette, hactenus Sinus Sancti Laurentii Episcopum.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Benedetto XVI ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Lunedì, 16 giugno, S.E. il Sig. Antoine Zanga, Ambasciatore del Camerun;

Giovedì, 26 giugno, S.E. il Sig. Firmin Mboutsou, Ambasciatore del Gabon;

Ha, altresì, ricevuto in Udienza:

Venerdì, 13 giugno, S.E. il Sig. George W. Bush, Presidente degli Stati Uniti d'America;

Giovedì, 19 giugno, S.E. il Sig. Joseph Kabila, Presidente della Repubblica Democratica del Congo;

Lunedì, 23 giugno, Sua Altezza Em.ma Fra' Matthew Festing, Principe e Gran Maestro del Sovrano Militare Ordine di Malta;

Sabato, 28 giugno, S.E. il Sig. Aníbal Cavaco Silva, Presidente del Portogallo; l'Onorevole Giovanni Alemanno, Sindaco di Roma; Sua Santità il Patriarca Ecumenico Bartolomeo I;

Lunedì, 30 giugno, il Sig. Stanislaw Tillich, Ministro Presidente della Sassonia;

Giovedì, 3 luglio, S.E. il Sig. Nathaniel Rahumaea Waena, Governatore Generale delle Isole Salomone.

Il Sommo Pontefice ha compiuto una Visita Pastorale a Santa Maria di Leuca e a Brindisi sabato 14 e domenica 15 giugno.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Benedetto XVI ha nominato:

19 giugno 2008 Il Rev.do Mons. Luis Mariano Montemayor, finora Consigliere di Nunziatura, elevandolo in pari tempo alla sede titolare di Illici, con dignità di Arcivescovo, *Nunzio Apostolico in Senegal e in Capo Verde e Delegato Apostolico in Mauritania.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Benedetto XVI ha nominato:

7 giugno 2008 L'Ill.ma Signora Prof.ssa Letizia Pani Ermini, *Presidente della Pontificia Accademia Romana di Archeologia, fino al compimento dell'ottantesimo anno di età.*

» » » Sua Em.za il Signor Cardinale Ennio Antonelli, finora Arcivescovo di Firenze, *Presidente del Pontificio Consiglio per la Famiglia.*

» » » Il Rev.do Mons. Aldo Giordano, finora Segretario Generale del Consiglio delle Conferenze Episcopali d'Europa (C.C.E.E.), *Inviato Speciale, Osservatore Permanente della Santa Sede presso il Consiglio di Europa a Strasburgo.*

9 » » Il Rev.do Mons. Enrico Adriano Rosa, del clero della Diocesi di Bergamo, finora Notaro del Tribunale della Rota Romana, *Difensore del Vincolo presso il medesimo Tribunale « ad quinquennium ».*

10 » » Gli Em.mi Signori Cardinali James Francis Stafford, Penitenziere Maggiore, e Cláudio Hummes, Prefetto della Congregazione per il Clero, *Membri della Congregazione per i Vescovi.*

11 » » S.E.R. Mons. John Hung Shan-chuan, Arcivescovo di Taipei, *Membro del Consiglio Speciale per l'Asia della Segreteria Generale del Sinodo dei Vescovi.*

14 » » Gli Em.mi Signori Cardinali: Gabriel Zubeir Wako, Arcivescovo di Khartoum (Sudan); André Vingt-Trois, Arcivescovo di Paris (Francia); Sua Beatitudine Antonios Naguib, Patriarca di Alessandria dei Copti (Egitto); gli Ecc.mi Monsignori: Paul R. Ruzoka, Arcivescovo di Tabora (Tanzania); Paul Hinder, Vescovo tit. di Macon, Vicario Apostolico di Arabia (Emirati Arabi Uniti), *Membri del Pontificio Consiglio della Pastorale per i Migranti e gli Itineranti.*

17 » » S.E.R. Mons. Salvatore Fisichella, Vescovo tit. di Voghenza, Rettore Magnifico della Pontificia Università Lateranense, finora Ausiliare della Diocesi di Roma, *Presidente della Pontificia Accademia per la Vita, elevandolo in pari tempo alla dignità di Arcivescovo.*

21 » » Il Rev.do Mons. Andrew Thanya-anan Vissanu, finora Consigliere di Nunziatura, *Sotto-Segretario del Pontificio Consiglio per il Dialogo Interreligioso «ad quinquennium».*

24 » » Gli Em.mi Signori Cardinali: William Joseph Levada, Prefetto della Congregazione per la Dottrina della Fede; Oswald Gracias, Arcivescovo di Bombay (India); Odilo Pedro Scherer, Arcivescovo di São Paulo (Brasile), *Presidenti Delegati per la Dodicesima Assemblea Generale Ordinaria del Sinodo dei Vescovi, che avrà luogo in Vaticano dal 5 al 26 ottobre 2008, sul tema «La Parola di Dio nella vita e nella missione della Chiesa».*

27 » » Sua Em.za il Signor Cardinale Agostino Vallini, finora Prefetto del Supremo Tribunale della Segnatura Apostolica, *Vicario Generale di Sua Santità per la Diocesi di Roma e Arciprete della Papale Arcibasilica Lateranense.*

» » » S.E.R. Mons. Raymond Leo Burke, finora Arcivescovo di Saint Louis, *Prefetto del Supremo Tribunale della Segnatura Apostolica.*

NECROLOGIO

10 giugno 2008 Mons. Elmar Maria Kredel, Arcivescovo em. di Bamberg (*Germania*).

12 » » Mons. Victor Kindo, Vescovo di Jashpur (*India*).

14 » » Mons. Charles A. Buswell, Vescovo em. di Pueblo (*Stati Uniti di America*).

21 » » Mons. Adalberto Almeida Merino, Arcivescovo em. di Chihuahua (*Messico*).

25 » » Mons. Louis Kuehn, Vescovo em. di Meaux (*Francia*).

28 » » Mons. Gregory Yong Sooi Ngean, Arcivescovo em. di Singapore (*Singapore*).

29 » » Mons. Eladio Vicuña Aránguiz, Arcivescovo em. di Puerto Montt (*Cile*).